

Proxime Saturnum mole sua dicunt, nonaginta et uni terris, cum parte eius octava esse æqualem. Martem vero esse universæ terræ æqualem, et eam insuper sui dimidio superare. E contra terram esse Venere maiorem plusquam partibus XXXVII hoc est si terram in 37 partes divideretur, una eorum partium, Veneri esset æqualis. Mercurium autem stellarum omnium esse minimam afferunt, et ob parvitatem raro conspici. Et iam pusillam eius esse molem, ut si terram in frusta 21952 scinderetur, unum solum, Mercurio æquale futurum. Sed et differunt lucibus, eiusque coloribus. Nam Saturnus visitur pallidior. Iuppiter fulguranti atque hilari fulget luce. Mars rubicundiore, et ignis specie, ideoque a Græcis πυρόεις igneus est appellatus. Venus lucidissima est. Mercuri color veluti est plumbeus, et in cæruleum vergens. Hæc autem colorum differentia, unde nam est? Nimirum a raritate ac densitate flamma, ac lucis, ex qua singuli sunt constituti. Si rarior namque sit, dilutiorem reddit lucem, si densior vividior. Qua ratione, nostratibus experimentis multis comprobata, Saturni minus valida lux, ad raritatem ætheris eam ostendit declinare, ita ut si raresceret magis in ætheris transiret raritatem, et diaphanitatem prope subiret, et languidissime, vel non amplius luceret. Modo quia compactior ea est raritate, lucet, sed lucet luce languidiore. Rara namque flamma, apud nos etiam, minus fulget valide, quam si sit densior. A qua raritate recedit magis Iuppiter, et densior est, atque ideo fulget clarius. Mars vero Iove est compactior, quod igneo suo colore prodit. Nam et nostrates flammæ in crassiore ac densiore materia accensæ, et rubentiores apparent, et sentiuntur calentiores. Venus vero stellarum, omnium pulcherrima, clarissima lucet flamma. Sed quam duo superiores minus. Et ut nos quidem arbitramur inter densitatem, et raritatem æque media. Nam si flammam aut in foco, aut in lucerna spectemus, attente, cernemus, eam eius partem, quæ prope vel lignum, vel oleum, aut ceram est, reliquæ fere radix, subobscuram et fere cæruleam esse, materiæ huctæ vicinitate, et quasi materiata. Quæ ardore ipso attenuata, et in medium sui accensa est clarissima. Deinceps in rubedinem vergit parte superiore, ubi fumus in se se recipit, et quasi suppetias sibi laturus cogitur, et fit densior. Media ergo flamma omnis est lucentissima, eo quod inter extremas duas crassities, æqualiter est media. Venus ergo, qualis apparet, tali etiam inter raritatem, et densitatem temperie media constare est credenda. Mercurius autem cæruleo suo colore prodit se se quasi fundum esse flammæ, sicuti Mars rubedine sua summitatem. Quæ res ad situm quoque eorum videtur pertinere. Non defuerunt enim inter philosophos atque Astronomos, qui, sub Marte Venerem locarent, sub hac, Mercurium. In quo quidem situ, atque ordine eorum, non minor fuit inter siderum contemplatores discordia, quam fuerit in reliquis, quæ iam commemoravimus inter Astronomos. Nam Crates Philosophus, et Metrodorus putarunt, Solem ac Lunam, omnium supremos. Democritus, Solem superiorem Mercurium locabat. Maxima vero Astronomorum pars, sub firmamento collocarunt, primo Saturnum, deinde Iovem, Martem postea. Sub quo Alpetragius Venerem locavit, Solem deinde, sub quo Mercurium, postremam Lunam. Plato vero, postremos omnium Solem ac Lunam, quem Aristoteles est secutus. Sed hic Mercurium sub Marte, et supra Venerem. Martianus autem Capella, supra Solem primo Mercurium, Venerem supra hunc, et infra Martem. Quem secutus est, recens author Tychon Brae Danus. Omnium vero diversissime eos collocavit Nicolaus Copernicus. Nam Solem in centro locavit universi, supra quem Mercurium, et proxime Venerem. Et supra hos Lunam, et tellurem in orbe eodem. Hæc tanta sententiarum discordia, non aliunde ortum habuit, quam reliqui Astronomorum quos commemoravimus errores, quod crediderint planetas quoque, sicuti et sidera reliqua, orbibus quibusdam infixos ferri. Et præterea quod nullam haberent, hunc ordinem vestigandi methodum. Quam præcipuam triplicem esse autumant. Diversitatis aspectum, velocitarem motus, eclipses. Priorem fatentur ipsi, Martem, Iovem, et Saturnum non attingere, nihilque de iis tribus statui posse certi. Colligunt autem eorum ordinem ex motus velocitate ac tarditate. Aiunt enim, quanto motus est tardior, tanto maiore via atque circuitu movetur; quanto velocior, tanto minore. Igitur Saturnus, qui tardissime fertur, longissimum iter habet; atque